Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31265
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



lxiiij

mine solum faciamus ei adiutorium simile sibi.
Formatis igitur dominus deus de humo cunctis animantibus
terre et universis uolatilibus celi. adduxit ea ad adam
ut uideret quid uocaret ea. Omne enim quod uocauit
uit adam anime uiuentis ipsum est nomen eius. Lectio iij.
Appellauit adam nominibus suis cuncta animantia
et universa uolatilia celi et omnes bestias terre.
Ade uero non inueniebatur adiutor similis eius. Im
misitque dominus deus soporem in adam. Cumque obdor
misset. tulit unam de costis eius et repleuit carnem pro ea.
Edificauit dominus deus costam quam tulat de adam. Lectio iiij.
in mulierem. et adduxit eam ad adam. Hoc nunc
os ex ossibus meis et caro de carne mea. Hec uocabitur
uirago quoniam de uiro sumpta est. Quam obrem relinquet homo
patrem et matrem. et adhebit uxori sue. et erunt duo in car
ne una. Erant autem ambo nudi. et non erubescebant.
Serpens erat callidior cunctis animantibus Lectio quinta.
terre que fecerat dominus deus. Qui dixit ad mulierem. Cur
precepit uobis deus ne comederitis ex omni ligno paradysi.
Cui respondit mulier. De fructu lignorum que sunt in
paradyso uescimur. de fructu uero ligni quod est in medio paradysi
precepit nobis deus ne comederemus et ne tangeremus illud
ne forte moriamur. Tu autem. Lectio sexta.
Dixit serpens ad mulierem. Nequaquam morte mo
riemini. Scit enim deus quod in quacumque die comederitis
ex eo aperientur oculi uestri et eritis sicut dii scientes bo
num et malum. Vidit igitur mulier quod bonum esset lignum
ad uescendum. et pulcrum oculis aspectuque delectabile et
tulit de fructu illius et comedit deditque uiro suo. Qui